

praxim ut ab usum tollendum declaravit eaque tantummodo retinenda esse censuit, neque, si invenirentur, expungenda esse pronuntiavit, quae licet adjectiva essent, supernaturale aliquod donum ipsis a Divina virtute tributum designabant, immo servanda esse voluit, ut in Sanctis Chrysostomo et Chrysologo, quae voces facundiam, vim et efficaciam divini sermonis tamquam peculiare donum in illis indicant, quod fuit a Deo singulari modo ipsis prae caeteris concessum.

Ad secundam responsionis partem quod attinet, Sacra Congregatio sic respondendo assertam consuetudinem recitandi memoratum Psalmum „*De Profundis*“ post Laudes, haud quidem aperte improbat, sed neque adprobare videtur: innuit tantum non eum esse locum illum recitandi. Siquidem post Laudes non suffragia pro defunctis, sed suffragia tantum Sanctorum recitantur, quae non sunt suffragia proprie dicta, neque eo sensu, quo pro defunctis accipiuntur, accipi debent. Dicuntur suffragia, ut a commemorationibus specialibus Sanctorum distinguantur, quae fieri debent, quia eo die incidunt eorum Festa, sed inferioris ritus, et ideo de illis fit tantum memoria, vel quia de illis fieri nequit Officium, vel quia sunt dies infra Octavam alicujus festivitatis, de qua debet fieri commemoratio, et ita vocantur, ut per eas Orationes, quae tales revera sunt, Sanctorum, de quibus fiunt, meritorum memoria recolatur, atque etiam ita appellantur, ut per memoriam, quae de illis fit, eorum imploremus auxilium, ut ipsi nobis faveant apud Deum, ut suffragentur nobis, ut sint nobis auxilio, nosque protegant et adjuvent, quo sensu ab Auctoribus sic acceptas videmus voces *suffragium, suffragari: Mihi videris, inquit Cicero 1. Leg., fratrem laudando, suffragari tibi, et in Epist.:*

Fortuna te suffragante videris res maximas consecutus. Non itaque vocantur suffragia proprie et stricte sumpta, hoc est in levamen Justorum, quos Divina Justitia in Purgatorii poenis detinet, quia condonata eis culpa, atque etiam aeternae mortis reatu, aliquid temporalis poena eis luendum supersit, donec plene satisfaciant, vel quia quum decesserunt leviores in eis culpa sunt repertae nondum remissae, pro quibus etiam Deo debent satisfacere.

Jam quum hic non de illis, sed de his agetur, haud quidem in Laudibus habere locum videtur memoratus Psalmus, sed potius post Primam. Est hoc juxta Rubricam, quae si non clare et aperte de hoc loquitur, aliquo tamen modo deducendum indicat post Primam esse dictum Psalmum recitandum. Sane Rubrica Missalis *tit. 15. n. 3.* hoc praecipiendo habet: *Missa autem pro defunctis dici debet post Primam.* Juxta haec Rubrica verba tempus ad suffragandas defunctorum animas assignatum, est post Primam: quemadmodum itaque statuitur, ut Missa (quae maximum est inter suffragia pro defunctis) ad defunctorum levamen post Primam celebretur, sic intelligi debet eo etiam tempore Rubricam (quae ubivis de hoc silet) voluisse indirecte saltem, recitandas esse quascumque preces, quae pro defunctis vel ex particularibus constitutionibus vel ex dispositionibus testamentariis vel ex consuetudine quocumque modo inducta recitantur. Neque mirum alicui videri debet, si de hoc Rubrica silet, nam de Missa poterat mentionem facere, Missae enim a Rubrica diversae assignantur et unicuique a Rubrica locus eas celebrandi tribuitur post aliquam nempe horam canonicam. Hoc autem de suffragiis pro defunctis in Officio faciendis statuere non poterat statim ac Rubrica nullum assignat suffragium in Officio

pro defunctis recitandum et persolvendum. Itaque quemadmodum ex instituto et dispositione Rubricae, quoad diversarum Missarum celebrationem modo relatam, eruitur locum et tempus suffragandi defunctorum animas esse post Primam, ita dicendum est Rubricam, indirecte saltem (neque aliter dici potest ea silente) voluisse innuere post Horam Primae locum dari cuique suffragio pro defunctis in Officio, quatenus persolvi in eo ipsa, de quibus Rubrica silet, quavis ratione deberent. Hanc esse Rubricae obviam interpretationem ac eum esse locum similia recitandi suffragia, non inopportune indigitat vetus praxis (cui deficiente lege, standum est), Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, in quibus revera post Primam recitantur. Etsi hoc, ut supra dictum est, Rubrica clare, taxative et singulariter non praecipit quoad alias preces, aliquo tamen modo per citata verba satis superque indicat. Hinc est, quod Sacra Congregatio, in particularibus casibus et dubiis, quae identidem enascuntur ubi clara non est Rubrica, idoneae et legitima est hujus interpres, eam interpretando et declarando respondit ad dubium ut supra. Huic igitur responsioni cuique est acquiescendum, proindeque supra memoratus Psalmus *De Profundis*, a consuetudine, quam aperte noluit Sacra Congregatio improbare, recedendo, post Primam deinceps erit recitandus.

o) Paramenta Celebrant.

Vd.: *Stola* (in Officio def.; decr. n. 5208, 5221).

In Ecclesia Civitatensi in diebus, in quibus vetitum est cantare Missam de Requiem, cantatur Missa de festo et dicitur Nocturnum defunctorum, quod non intelligitur prohibitum. Quaeritur:

1. An honestum sit, sacerdotes privatum celebrantes per sepulcra cum

planeta responsoria pro defunctis recitare?

2) An Resp. solemnia pro def. post Missam de festo cantari debeant cum pluviali coloris festi vel nigro?

S. C. resp.: „Praedicta nullo modo licere et ab Ordinario esse prohibenda.“ (Etiam igitur, puto, Nocturnum non debet dici.) n. 3066 die 23. Septbr. 1684.

Ad effectum satisfaciendi oneri, quod jure legati, prout assertum fuit, habent Beneficiati Ecclesiae Villae Massrae Patriarchatus Ulysbonen. Occidentalibus recitandi omnibus tertiis Dominicis Responsorium defunctorum post Missam cantatam sive privatam, Beneficiati praedicti: quid in isto casu faciendum esset, dum id juxta dispositionem Rubricarum peragi minime valeat? a S. R. C. declarari supplicarunt.

Et S. eadem C.: „Praefatum Responsorium diebus supra expressis ad Primam sive ad Completorium dicendum esse“ declaravit.

N. 3955. Die 28. Novembris 1822.

p) Responsorium.

I. Repetitio.

Ad dubium: An in Responsorio: *Libera me Domine* Officii Defunctorum possint vel debeant repeti verba: *Dum veneris*, dicto jam *ŷ. Tremens*, vel an sint omittenda? Et quatenus affirmative, an idem servandum, quoties in Officio Divino similis occurrit repetitio?

S. C. C. resp.: „Dici debere.“

Die 23. Maii 1835. N. 4748 ad 8.

II. Ultimum.

Vd.: *Officium def.* (quid in eo omittend.)

Ad dubium: An in Officio defunct. possit relinqui ultimum responsorium cum precibus et oratione, ut multi faciunt?

Sanctimoniales extra Claustra non pergunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die recensiti Mensis et Anni.

Vd.: *Oratorium.*

17) Immaculatae Concept. B. V. M.

Vd.: *Officium B. V. M. in Sabbato.*

18) Ex Indulto concessum.

Vd.: *Officium de Cruce; SS. Sacramentum (Off. fer. V.); Officium B. M. V.; Officium (oblig. ad quod); Officium partic.; Officium votiv.; Off. Cathedr. concess.*

Ad dubium: An Officia praecepta vel concessa v. g. cunctis Dominiis Catholico Regi subjectis aut omnibus Hispaniarum Dioecibus etc., absque alia Cleri expressione, intelligantur concessa vel praecepta Clero regulari sicut saeculari? Et quatenus affirmative: An idem sentiendum de Octavis localibus similiter praeceptis vel concessis? Ratio dubitandi est praxis plurium, qui utrumque negant, et videtur contraria Rubricis 23, 24 et 47 Breviarii Romano-Seraphici noviter reformati.

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, Negative ad secundum.“ Et ita declaravit n. 4474 ad 10 die 2. Maii 1801.

Conceditur, ut in Regnis Hispaniarum omnibus diebus lunae festo dupl. vel semidupl. non impeditis possit recitari Officium s. Jacobi ap. Dubit.: An festum semid. concessum ad libitum praestet impedimentum, an vero transferri possit?

S. C. resp.: Impedimentum esse ad libitum; impedire enim, si amat Officium festi ad libitum recitare; non impedire, si ab eo abstinendum censat: attamen de festo ad libitum in tali casu non debere fieri translationem.

Die 16. Febr. 1669.

19) Initium.

Cf.: *Chorus (init.); Episcop. (Off. init.).*

Officium statim inchoandum esse, datis solitis signis per sonum campanae, non expectato Vicario vel aliis. n. 293 die 25. Febr. 1606.

Officium, a quo fuerit inchoatum, omnino conficiendum esse. n. 1658 die 1. Decb. 1657.

Capellanus de Massa non potest inchoare horas canonicas, quibus Canonici intersse solent, ante alicujus Canonici adventum, sed expectare debet ad minus per quadrantem post pulsum campanae. n. 2083 ad 2 (2do loco) die 18. Decb. 1660.

Ad Archidiaconum Cathedralis Sulmonen. spectare determinare horam celebrationis Officii. n. 3332 ad 2 die 29. Maii 1694.

Pro inchoandis divinis Officiis, quibus intervenire solet Magistratus multoties ad deferendas consuetas oblationes, Capitulum non tenetur dictum Magistratum expectare ultra horam conductam. n. 4093 ad 1 die 11. Julii 1793.

Ad dubium: An dato signo assueto per sonitum campanae pro recitatione Officii sit expectandus Episcopi accessus?

S. C. resp.: Affirmative juxta modum insinuatam.

Die 26. Martii et 13. Apr. 1720.

20) Non integre in choro recitatur et non ab omnibus Canonicis singulis diebus.

S. Severinae.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Capitulum Ecclesiae Metropolitanae S. Severinae, quod Ecclesiae inserviebat per hebdomadam et Turnum, praetendit se non teneri ad quotidianum servitium vigore cujusdam donationis factae a bon. mem. Archiepiscopo Berlingerio, sed sibi esse permittendum, ut alternative et per Turnum praestet praedictum servitium, exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimae, Rogationum et aliis Vigiliis et omnibus diebus festivis, quibus omnes addicti Choro eidem inservire teneantur.

Et in eo quidem, quod attinet ad primam praetensionis partem, admittitur a Capitulo, fuisse ab Archiepiscopo Berlingerio factam donationem nonnullorum Capitalium: *accio fosse servito il Coro di detta sua Chiesa Metropolitana in tutti li giorni ed ore Canoniche nel modo e forma, che dispongono i Sacri Canonici ed il Sacro Concilio di Trento*, sed contendit, non posse dici in hac Donatione impositum onus omnibus inserviendi Choro, sed tantum inserviendi per Turnum, ex quo videlicet erant adeo modicae distributiones, quae ante Donationem distribuebantur inter praesentes, ut singulis annis vix ascenderent ad quatuor ducatos pro quolibet, ex qua modicitate sicuti saepe sequebatur, ut Cultus Divinus negligerebatur, et quod obligati ad inserviendum, nec minus per Turnum inservirent, sic auctis ab Archiepiscopo distributionibus, voluit ipse quidem, ut servitium imposterum non negligerebatur, sed absque ejusdem immutatione, itaut si in antecessum, non erat servitium diurnum sed per Turnum, eodem modo continuare deberet in futurum.

Et quia Capitulum videt, sibi opponi posse, quod post Donationem, quoad usque vixit Donator, servitium ab omnibus quolibet die et non ab aliquibus per Turnum praestitum fuit, respondet, id non fuisse factum ex obligatione sed ex quadam gratitudine erga Benefactorem, qui ultra res donatas animum habebat alia etiam superaddendi, quod et fecisset, si non fuisset morte praeventus, in quo rerum themate concludit, non fuisse inductam ullam obligationem, et eo fortius, cum Donatio fuerit acceptata a quodam Canonico Capituli Procuratore cum promissione de ratihabitione infra triduum, nec unquam ratihabitione Capituli accesserit, ex quo idem Capitulum infert, se non esse obligatum ad continuum et diurnum servitium, licet illud per impossibile esset in Donatione praescriptum.

Atque hinc transeundo ad secundam praetensionis partem, inserviendi videlicet imposterum per Turnum exceptis diebus supra recensitis, Capitulum innititur antiquae consuetudini et etiam praxi tot aliorum Capitulorum et, quod magis est, tenuitati distributionum, cum etenim Capitulum componatur ex sex Dignitatibus et octodecim Canonicis et quindecim Presbyteris aliisque in dies recipiendis et ante Archiepiscopi Donationem non adesset nisi annua quantitas ducatorum 150, inter omnes titulo distributionum dividenda, et ex rebus ab Archiepiscopo donatis percipiuntur tantum ducati sexcentum et pecunia ab eodem pariter relicta, quae remanet otiosa et non est investita, modicum fructum reddere possit, et quatenus multiplicum ex ea institueretur, multum temporis labi deberet, ut fructus proportionatus haberetur, subdit memoratum Capitulum, quod facta divisione inter Canonicos et caeteros Choro addictos, non habet quilibet Canonicus nisi ducatos viginti

S. C. resp.: Negative et servantur rubricae. N. 4645 ad 4 die 17. Dec. 1828.

q) Num coram SSmo exposito recitandum erit?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XVII. n. 16.

r) Tempus Recitat. pro Commem. Omn. fid. def.

Immediate post secundas vespas festivitatis Omn. SS. Vesperae et Matutinae Def. recitari solent in multis Ecclesiis ad hoc, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint. *Caer. Ep. l. II. c. X. n. 1.*

Vd.: *Commem. Omn. fid. def.* (Off.).

s) Translatio.

Vd.: *Missa conv. de Req.* (transl. decr. n. 4167); *Missa* (translatio, decr. Clem. XIII. de die 19. Jan. 1761).

t) Infra Triduum hebd. sanctae.

Vd.: *Lumina in Exequiis per triduum; Offic. def.* (dies).

u) Unum Officium pro pluribus obligationibus.

Ad dubium: An die, qua recitandum est Off. def. ex legato et obligatione rubricae Ecclesiae et depositione defuncti et pro Anniversario, sit dicendum unicum Officium pro omnibus obligationibus et satis sit, an vero unum recitandum, alterum vero transferendum?

S. C. resp.: Negative sed vel bis recitandum Officium pro duplici obligatione, vel alterum recitandum et alterum transferendum; si vero est anniversarium, hoc est anticipandum.

In casu translationis dicendum est Officium de die Depositionis, alterum transferri potest ad primam diem non impositam.

Unum Officium non posse deservire pro omnibus, nisi ex mente fundatoris aliud constet; et eo casu praefendum Officium pro depositione defuncti propter praesentiam corporis et addendas plures orationes juxta plures obligationes.

N. 2864 ad 1—4 die 9. Julii 1678.

v) Utrum dici debeat, sacerdote missam de festo celebrante.

Vd.: *Offic. def.* (paramenta Celebr.; *Anniversar.* (alia missa etc.); *Missa de Requ.* (alia missa etc.).

9) Dispensatio.

a) Canonicis partim concessa.

Vd.: *Officium* (non integre in choro recitatur etc.).

b) Monialibus partim concessa.

Vd.: *Moniales* (Brev. — decr. Clem. XIV.).

10) Divisio Officii,

si ex plurib. Sanctis alias simul celebrandis unus est Patronus vel Titularis.

Vd.: *S. Sebastianus* (Officium etc.); *S. Eustachius* (ut Titular.); *Reliquiae insig.* (Off. recitand. decr. n. 2812).

11) Dominicae assignatum.

Ad dubium: Utrum Officiis alicui Dominicae assignatis, puta Puritatis, Maternitatis B. M. V. in Dioecetano Calendario, in aliqua peculiari Ecclesia festo majoris ritus perpetuo impositis, debeat assignari dies fixa vel perpetuo omitti?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative, nisi supplicetur pro translatione.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4782 ad 11 die 27. Aug. 1836.

12) Episcopi Regularis.

Vd.: *Episcopus Regul.* (Officii recitatio).

13) Episcopi in visitatione.

Vd.: *Episcopus* (Officii recitatio).

14) Feriale.

(Estne evitandum?)

Vd.: *Patronus princip.* (translatio decr. n. 4553 ad 7); *Episcopus* (Offic. recitatio decr. n. 1452); *Off. partic.*

Ad dubium: An ad vitandum feriale Officium possint in Feriis subrogari nonnullorum Sanctorum Officia, quorum recitatio non est Oppido Villafranca concessa, sed tantum nomina descripta sunt in notula elaborata anno 1744, ac dein aliqua ex parte mutata anno 1795?

Et S. eadem C. respondit: „Negative.“ Et ita etc.

N. 4542 ad 2 die 27. Sept. 1817.

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit atque ita in supradicta Ecclesia servari mandavit. Die 30. Sept. 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Nemini licet, quacumque dignitate sit decoratus, addere Calendario aliqua pro lubito Officia, licet Sanctorum sint, qui in Ecclesia universali coluntur et in Martyrologio Romano locum habent. Non pro omnibus enim Sanctis vel formaliter canonizatis Officium pro Ecclesia universali indultum est, licet in aliquibus locis ex Apostolica concessione recitetur, quin eadem Apostolica Sede inconsulta ad alias Dioeceses, Ecclesias aut Regulares Ordines extendi valeat.

Decreta authentica. Tom. II.

Ideo S. R. C. sub die 29. Aprilis 1741 in una *Vilnen.* respondit ad dubium quintum: *Satis vulgatum, pluribusque Decretis firmatum est, Officia particularibus locis concessa, quantumvis Sanctorum in Martyrologio Romano expressorum, Sede Apostolica inconsulta, non posse ab aliis recitari; et in Polona die 1. Dec. 1742 ad 1, quo quaerebatur: An servari posset consuetudo recitandi quaedam Officia ex adprobatis pro aliqua Dioecesi, licet non constaret de extensione ad alias, respondit: Serventur Decreta a S. R. C. edita super Officiorum recitatione. Qui autem particularia Officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione vel concessione.* Similiter cum in Dioecesi Varsavien. mos invaluisse recitandi Officium aliquorum Sanctorum, quin constaret de Apostolica concessione, S. R. C. expresse declaravit *sub die 7. Maii 1746* ad dubium 4: *Non posse continuari.* Servanda quippe sunt Decreta generalia, quae Breviario Romano praeficiuntur. Quod si aliqua adsit Reliquia insignis vel Corpus alicujus Sancti ex descriptis in Martyrologio Romano, quamvis in Calendario universali nulla ejusdem memoria fiat, Festum tamen peragi poterit cum Officio et Missa in ea dumtaxat Ecclesia, in qua Corpus et Reliquia asservatur, dummodo tamen constet de identitate, juxta modum a *Trid. Synodo praescriptum sess. 25. Decret. de invocat., veneratione et Reliq. Sanctorum* rite probata. Enimvero Festa illorum Sanctorum, de quibus quaestio proponitur in hoc dubio, proprie non pertinent ad *Capitulum de Villafranca*, quia non affertur aut ulla qualitas relatione desumenda ab Ecclesiae Titulo vel Patronatu aut Apostolica concessio, et certum est eandem recitandi consuetudinem recentem esse, cum antiquior notula anno 1744 consignetur,

idcirco omittenda in posterum omnino sunt. Eoque magis quia ex expositione dubii nequimus assequi, an haec Festa certis diebus sint perpetuo affixa, an potius ad opportunitatem accommodentur? Nam cum in eodem exponatur: *an ad vitandum feriale Officium possit in Feriis subrogari nonnullorum Sanctorum Officium etc.*? jure potest dubitari, quod arbitraria sit et varia in singulis annis dispositio Officiorum illa in Ecclesia, ne unquam vel raro saltem ferialibus Officiis locus supersit. Quidquid tamen de hoc sit, vel Officia affixa sint certis diebus, vel pro lubitu Feriis subrogentur, semper verum est ad evitanda ferialia Officia inductam consuetudinem addendi Calendario de Villafranca tot Sanctorum Officia sine titulo relationis aut Apostolicae concessionis, quod repugnat Pontificiis Constitutionibus et S. R. C. Decretis.

15) Fugae D. N. J. Chr.

Vd.: *Officium myster. et Instrum. dom. Pass.*

Officium fugae D. N. Dominica 4. Apr. quotannis est impeditum et celebratur qua translatum tempore paschali, cui minus convenire videtur, si humillime proponere liceat supplicari S. R. C. pro assignando huic festo aliam dominicam v. g. tertiam post Epiphaniam aut primam vel secundam Julii aut aliam.

S. C. resp.: Juxta alias decreta in casu impediti non esse transferendum sed omittendum. n. 4842 ad 6 die 1. Sept. 1838.

16) Hebdomadis maj.

a) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approb.).

b) In Parochiis.

Vd.: *Sabb. sanct.* (missa priv., decret. n. 5132 ad 5); *Coena Domini*; *Parasceve*; *Missa in Coena Dom.*; *Benedictio* (Jus; decr. n. 5050).

Ad dubium: An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis, praesertim in ruralibus celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V. in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Feria et sequenti caetera Ecclesiasticae functiones praescriptae ob Clericorum defectum, vel potius abolenda?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Affirmative, et ad mentem: mens est, ut locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, S. Functiones Ferii V. et VI. ac Sabbato majoris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII. anno 1725 jussu editi: Quoad alias Paroecias, quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V. in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SSmo.“

Atque ita respondit et servari mandavit, die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit. N. 4583 ad 1 die 31. Junii 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Non levis est apud rerum liturg. Scriptores controversia, utrum, necnon olim licuerit et modo etiam liceat a

Sacerdotibus Fer. V in Coena Domini Sacrificium privatim offerre. Singuli enim in diversas abeunt sententias, de quarum varietate non est hic disserendi locus. Veruntamen unum est, quod firmum manet, videlicet hanc Feriam non adnumerari diebus *alitur-gicis*, qui Missa omnino carent, quales sunt *Feria VI. et Sabb. S.*, ex cap. *Sabbato distinct. 3. de Consecrat.*: imo ob sublimia, quae recoluntur Mysteria, haec Feria Sacrificium jure postulat. Ideo juxta veterem morem tres celebrabantur Missae: *Prima* ad reconciliandos poenitentes; *altera* ad S. conficienda Olea; *tertia* demum ad recolendam S. Eucharistiae institutionis memoriam. Praesens vero disciplina unam tantum Missam solemnem admittit in Ecclesiis Cath., Colleg., Paroch., Convent.; privatas omnino vetat. Quod si haec in Feria Festum incidat de praecepto servandum, non omnibus Sacerdotibus celebrandi fit potestas, sed aliquot Missae lectae in qualibet Ecclesia permittuntur, ut queant Fideles obligationi satisfacere; nec reliqui de Clero desint, qui inter Missarum Solemnia ad Apostolorum imitationem S. sumant Eucharistiam. Si ratio quaeratur: curnam hac die privatae Missae prohibentur? eadem non a qualitate diei petenda est, quae reverentia debita sublimissimo Sacramenti institutionis Mysterio. Decet namque, ut Sacerdotes a sacrificando absterneant Sacramque Dapem laicorum more ab Episcopi, Praesidis, Parochi celebrantis manibus accipiant. Memoria namque recolitur D. N. J. Chr., qui pridie quam pateretur, tantum Sacramentum instituens verum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini ad manducandum et bibendum accumbentibus Apostolis tradidit nobisque perenne sui amoris pignus in saecula saeculorum reliquit.

Audiendus aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV., qui *Institut. 38. nrm. 5.* ait: *Si quis hujus Instituti causam scire velit, statim ipsam explicabimus. Eadem Fer. V. S. Eucharistiae solemne Festum celebratur, quam postrema Coena Christus Dominus instituit, quo tempore, juxta Conc. Trid. sententiam, Sacerdotium quoque Apostolis contulit. Quare sicut D. Salvator sibi primum ac deinde Apostolis Sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos Feria V. majoris Hebdomadae, suscepta Divina Eucharistia, ipsam postea universo Clero distribueret, qui Ecclesiae adscribitur, ubi Sacrum peragitur.*

Nedum vero decet, ut Sacerdotes in hac Feria et reliqui de Clero e manibus Celebrantis S. Hostiam sumant, sed etiam congruit, ut fideles caeteri idipsum praesent, imo jus habent, ut Sacramentum sibi ministretur a Parocho, cujus regimini subjiciuntur. Nam juxta veterem Ecclesiae morem ad hoc non solum pietate, verum etiam praecepto fideles omnes ducebantur, quemadmodum testimonio antiqui Canonis *In Coena Domini de Consecrat.* aperte comprobatur.

Equidem praesens disciplina taxative ad hanc Feriam hoc non secumfert positivum praeceptum; exigit tamen religio et recolendi Mysterii sanctitas, ut in unaquaque Ecclesia Cathedr., Colleg., Paroch., Convent. unica celebretur solemnis Missa, in qua tam omnes Sacerdotes et Clerici, quam etiam, si qui accedunt fideles laici, s. sumant Communionem. Et quoniam aequum est, ut in Ecclesiis omnibus, quae subditam habent plebem, Sacrum solemne fiat, nec omnes aequae Clericis, supellectilibus atque opibus abundant, ut pro dignitate tam in hac, quam in Fer. VI. et Sabb. S.

s. actiones celebrari valeant, huic incommodo consulere volens S. M. Benedictus XIII., praevia consultatione particularis Congr. a se indictae, parvum Rituale praelo tradi publicique juris fieri jussit, pauperibus et ruralibus paroeciis accommodatum. Adeundus P. Meratus ad Gavantum *part. 4. tit. 7. num. 31. de Ritibus servandis in minoribus Ecclesiis.*

Parvo hujusmodi Rituali satis provisum est illis Paroeciis, in quibus triduo Passionis nequeunt expleri praescriptae functiones cum solemnitate, cantu et Ministris paratis: quomodo id fieri posset, si unus tantum aut alter est Sacerdos? Necesse tamen est, ut aliquot saltem adsint Clerici, qui tres ad minus numero esse debent. Veruntamen adhuc pauperiores ac praesertim rurales Paroeciae supersunt, in quibus vel unus dumtaxat vel nullus est Clericus, qui Cotta indutus Celebranti ministret. Bene est, ut in his omittantur functiones, cum modus desit, quo, si non solemniter, debita saltem cum decentia peragantur: congruere tamen plurimum videtur, ut ad satisfaciendum subjectae plebis pietati, praesertim, si qui velint (ad quod jus habent) s. sumere Communionem et Paschali praecepto satisfacere, Parochus privatam celebret Missam. Hanc autem tenuisse sententiam videtur laudatus Pontifex, cum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopus regeret; nam *loco sup. cit.* jubens, ne ullus Sacerdos ea Feria Sacrum privatim faceret, Parochos excepit: *Si vero, inquit, praeter Parochiam in sua Parochia Sacerdos aliquis cujuscumque conditionis aut dignitatis Missam privatim Feria V., VI. ac Sabbatho majoris Hebdomadae celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus et a Divinis etiam interdiciemus etc.* Magni fieri debet tanti Pontificis auctoritas; nec dubium est, quod ibi non

agat de Missa privatim a Parocho celebranda. Non enim ibi loquitur de Missa solemniter, verum de lecta, quam ea die Sacerdotibus omnibus celebrare est interdictum. Si Parochos a generali excipit lege, rationem habuisse censendus est illarum Paroeciarum suae Archidioecesis, in quibus ob inopiam et Clericorum defectum, Hebdomadae majoris s. functiones nec solemniter nec decenter, juxta laudatum parvum Rituale *Benedicti XIII.* peragi possent.

Et revera rogati P. s. tuendis ritibus Praepositi: *An in Feria V. Coena Domini celebrari possit in Ecclesia (non in privato Valetudinarii Sacello, sed publica in Ecclesia) una Missa privata propter infirmos, excepta solemniter?* sub die 27. Martii 1773 responderunt: *Arbitrio Episcopi.* Praeterea non desunt Ecclesiae, in quibus pro populi commoditate Parochus privatim celebrat subjectaeque sibi plebi Communionem ministrat, priusquam Missae Conventuali initium detur. Ita in Parochiali Lateran. et in quibusdam aliis Urbis Colleg. Ecclesiis, quamvis in iisdem Solemnia omnia fiant et possit commode populus Sacro interesse. Si ita est, potiori jure congruere videtur, ut id fiat in paupere rurali Paroecia, favore illorum, qui eidem subjiciuntur, ut queant Missam audire a proprio Parocho celebratam, in eadem s. sumere Communionem, Paschali praecepto satisfacere et memoriam recolere institutionis Sacramenti. Quod si maxime decet favore plebis, multo etiam magis convenire videtur quoad ipsum Parochum; nam si teneretur, ut revera Parochi tenentur, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ministrare populo sibi subjecto, quin tamen ei liceret Sacrum facere, nec forte posset per manum alterius (alio deficiente Sacerdote) sacram sumere Dapem ac propterea, dum alios re-

ficit, ipse jejunos cogere abire et privaretur spirituali gaudio illius diei, quo, cum Celebrantes tum de Sacrificio participantes, tanti Sacramenti institutionis memoriam recolentes, perfunduntur.

Validis hisce rationibus mature perpendis S. C. proposito dubio: *Affirmative* respondit; rem tamen noluit in Parochorum ruralium arbitrio relinquere sed demandavit, ut iisdem quotannis et peterent et ab Episcopo celebrandi veniam obtinent. Siquidem animadvertit, occurrere quandoque casus rationabiliter eam denegandi. Talis profecto erit, si rurales Parochi in Cathedrali convenire deberent, ad complendum numerum Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum, quot necessarii sunt in Oleorum S. confectione, quin utrumque munus ob loci distantiam vel ob aliam causam componi possit. Dum vero consuluit pauperioribus et ruralibus Paroeciis, excitare etiam voluit Episcoporum sollicitudinem et vigilantiam, ut jubeant s. functiones peragi Feria V. et VI. necnon Sabbatho majoris Hebdomadae in aliis Parochialibus Ecclesiis, in quibus saltem tres quatuorve Clerici haberi possunt, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII. jussu editi; et propterea, quoniam exemplaria defecerunt, novam ejusdem editionem prope diem evulgari curabimus.

Ad dubium: An Ecclesia paroch. omnino adigatur ad functiones Sabb. s. juxta parvum Caerem. s. m. Bened. XIII., si sufficienti clero destituatur et quomodo hujusmodi in casu missa ordinanda sit?

S. C. resp.: Affirmative et servetur in omnibus solitum juxta dictum Caeremon.

Die 12. Julii 1848.

c) In Oratoriis.

Baltimorem.

Multis abhinc annis invaluit apud Sanctimonialia tum Ordinis Carmelitarum tum Visitationis Bnae M. V. Dioecesis Baltimorensis, ut in illarum Oratoriis triduo Majoris Hebdomadae lecta celebretur. Quod advertens Magister Caeremoniarum Metrop. Ecclesiae Baltimorensis factum contra Rubricarum dispositionem quidem, sed ex vera necessitate ob defectum Cleri et Clericorum, qui desiderantur, de consensu immo annuente ipso Rmo Archiepiscopo, S. R. Congregationi exposuit ac humillime supplicavit, ut quousque praedictis in Oratoriis eodem triduo pro functionibus peragendis servari nequeat peculiaris dispositio *Memorialis Rituum* s. m. Benedicti Papae XIII. typis editi, benigne concedatur alicui Sacerdoti, quem Rmus Archiepiscopus designaverit, Sacrum privatim facere praedicto in triduo iisdem in Oratoriis, quod Indultum extendi etiam valeat ad Oratorium Puellarum Charitatis in eadem Archidioecesi commorantium.

Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitibus coadunata, audita relatione per infrascriptum Secretarium facta, rescribendum censuit: „Ad D. Secretarium cum Sanctissimo.“

N. 4837 die 1. Sept. 1838.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione S. S. attentis peculiaribus circumstantiis summaque pietate ac religione ipsarum Sanctimonialium, de speciali gratia benigne annuit juxta petita, quod Indultum duraturum edixit solum quousque illae functiones peragi nequeant juxta dispositum supradicti Memorialis Rituum et pro iis tantum Asceteriis, quorum